

Decretum ic-
titans.

§. 8. Decernentes easdem presentes li-
teras, & in eis contenta quaecumque, etiam
ex eo, quod quilibet, etiam speciali men-
tione digni, in praemissis interesse habent-
es, seu habere quomodolibet pretendentes,
ad ea vocati, & auditi non fuerint, nullo
unquam tempore de subreptionis, vel
obreptionis, aut nullitatis vitio, vel in-
tentionis nostrae, aut interesse habentium
consensus, aliove quolibet, quantumvis
magno, & substantiali defectu notari, im-
pugnari, invalidari, infringi, retractari,
aut in controversiam revocari, seu ad ter-
minos juris reduci posse, sed ipsas praesen-
tes semper firmas, validas, & efficaces
existere, & fore, suosque plenarios, & in-
tegrus effectus sortiri, & obtinere, ac ab
illis, ad quos spectat, & pro tempore spe-
ciabit, inviolabiliter observari; Sicque, &
non aliter in praemissis per quoscu-
mque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cau-
sarium Palatii Apostolici Auditores, ac ejus-
dem S. R. E. Cardinales, etiam de latere
Legatos, & Sedis praedictae Nuncios, alio-
ve quoslibet quavis auctoritate, & potesta-
te fungentes, & futuros, sublata eis, &
eorum cuilibet quavis aliter judicandi, &
interpretandi facultate, & auctoritate judi-
cari, & definiti debere, ac irritum, & inane,
si secus super his a quoquam quavis au-
thoritate scienter, vel ignoranter contige-
rit attentari.

Contraria
deogata.

§. 9. Non obstantibus praemissis, ac Con-
stitutionibus, & Ordinationibus Apostoli-
cis, necnon memoratorum Collegiorum,
& aliis quibusvis etiam juramento, con-
firmatione Apostolica, vel quavis firmi-
tate alia roboratis statutis, & consuetudi-
nibus, privilegiis quoque, indultis, & liti-
ris Apostolicis, eidem sub quibuscumque
verborum tenoribus, & formis, ac cum
quibusvis etiam derogatoriis derogato-
riis, aliisque efficacioribus, efficacissimis,
& insolitis clausulis, irritantibusque & aliis
Decretis in genere, vel in specie, ac alias
in contrarium quomodolibet concessis,
confirmatis, & innovatis. Quibus omni-
bus, & singulis, etiam si pro illorum suf-
ficienti derogatione de illis, eorumque to-
tis tenoribus specialis, specifica, expressa,
& individua, ac de verbo ad verbum, non
autem per clausulas generales idem im-
portantes mentio, seu quaevis alia expressio
habenda, aut aliqua alia exquisita forma
servanda foret, tenores hujusmodi pro ple-
ne, & sufficienter expressis habentes, illis
alias in suo robore permanentibus, ad praem-
issorum effectum hac vice dumtaxat spe-
cialiter, & expresse derogamus, ceteris-
que contrariis quibuscumque.

Transumptio-
rum fides.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem
praesentium transumptis, etiam impressis,
manu alicujus Secretarii praedictae Congre-
gationis, vel Notarii publici subscriptis, &
figillo personae in Eccl. dignitate constitutae
munitis eadem prorsus fides in iudicio, &
extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis ad-
hiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.
Datum Romae apud S. Mariam Majorem

sub annulo Piscatoris, die 20. Junii 1660.
Pontificatus nostri anno VI.

Formula Juramenti ad praescriptum Superio-
ris Brevis praestandi a quolibet Alum-
no Collegiorum Pontificiorum.

E G O N. Filius N. Diocesis N. plenam
habens instituti hujus Collegii notiam
Legibus, & Constitutionibus ipsis,
quas juxta Superiorum explicationem am-
plector, me sponte subitico, easque pro
posse observare promitto.

Insuper spondeo, & juro, quod dum in
hoc Collegio permanebo, & postquam ab
eo quocumque modo, sive completis, sive
non completis studiis exiero, nullam Reli-
gionem, Societatem, aut Congregationem
Regularem sine speciali Sedis Aposto-
licae licentia, vel Sacrae Congregationis de
Propaganda fide ingrediar, neque in earum
aliquam professionem emittam.

Spondeo pariter, & juro, quod volente
Sacra Congregatione de Propaganda fide
Statum Ecclesiasticum amplectar, & ad omnes
Sacros, etiam Presbyteratus Ordines, cum
Superioribus visum fuerit, promovabor.

Item voveo, & juro, quod si Religio-
nem ingressus fuero, sive in statu seculari
permanero, si intra fines Europae fuero,
quolibet anno; si vero extra, quolibet
biennio, mei ipsius, meique status, exerci-
tium, & loci, ubi moram traxero, Sacram
Congregat. de Propaganda fide certiorabo.

Voveo praeterea, & juro, quod justu
praedictae Congregationis de Propaganda Fide
sine mora in Provinciam meam revertar,
ut ibi perpetuo in Divinis ministrandis
laborem meum, ac operam pro salute ani-
marum impendam, quod etiam praestabo,
si cum praedictae Sedis licentia Religionem,
Societatem, aut Congregationem Regula-
rem ingressus fuero, & in earum aliqua
professionem emisero.

Denique voveo, & juro, me praedictum
juramentum, ejusque obligationem intel-
ligere, & observaturum juxta declaratio-
nes factas a Sacra Congregatione de Pro-
paganda Fide, & Brevis Apostolico roboratas
sub die 20. Julii 1660. Sic me Deus
adjuvet, & haec Sancta Dei Evangelia.

CCCII.

De obligatione denunciandi haereticos, vel
de haeresi leviter suspectos: Et quod in
materia haereticis non admittitur correctio
fraterna.

Feria 5. Die 8. Julii 1660. In Congregatio-
ne generali S. R., & Univ. Inquisitionis
habita in Palatio Apostolico apud S. Ma-
riam Majorem coram SS. D. N. Alexan-
dro Divina Prov. Papa VII. ac EE. & RR.
DD. S. R. E. Cardinalibus in Universa
Republica Christiana contra haereticam
pravitatem Inquisitoribus Generalibus a
S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

LI-

Dat. die 20.
Junii 1660.
An. V.

Constitutio
Pauli V.

L I cet alias per Constitutionem fel. rec.
Pauli V. emanatam sub die 1. Septem-
bris 1606. quae incipit, Romanus Pontifex,
fuerit districte prohibitum Superioribus
Regularium, ne quovis titulo, vel prae-
xtu praevencionis, aut consuetudinis, &
praescriptionis, etiam immemorabilis, aut
alio in causis ad Sanctum Officium specta-
ntibus se quoquo modo intromittere, aut
immiscere, denunciations recipere, tes-
tes examinare, processus conficere, cau-
sas cognoscere, aut terminare audeant;
imo ex ejusdem Constitutionis dispositio-
ne eisdem fuerit graviter injunctum, ut
suos subditos, ac Religiosos, quos haere-
sis labe infectos, vel de haeresi suspectos no-
verint, absque alia consultatione cum pro-
priis suae Religionis Superioribus, vel alia
quavis persona facienda, sive mora Inqui-
sitoribus, vel locorum Ordinariis vicini-
oribus denunciarent.

Constitutio-
nem Pauli V.
Alexand. VII.
innovat.

§. 1. Nihilominus animadvertens San-
ctissimus D. N. Alexander VII. ab aliqui-
bus Regularibus in dubium revocari praedi-
ctam denunciandi obligationem, adeo
ut ne dum suos subditos non denunciarent,
verum etiam fideles ad ipsos pro consilio
recurrentes, ad debent Sancto Officio de-
nunciare, quae audierunt, aut viderunt, ad
ipsum Sanctum Officium spectantia, ad id
faciendum, ut deberent, non obligent,
imo aliquando eosdem perperam instruunt,
non teneri, nec sub obligatione Constitu-
tionum Apostolicarum comprehendi, &
hanc opinionem erroneis aliquot Docto-
rum sententias confirmare tentantes, eos-
dem in maximum fidei discrimen ab one-
re denunciandi retrahere conentur.

§. 2. Volens proinde Sanctitas Sua abu-
sum hujusmodi ex sui pastoralis officii de-
bito coercere, post maturam facti discus-
sionem, auditis votis Emorum, & Reve-
rendiss. DD. Cardinalium adversus haereti-
cam pravitatem generalium Inquisitorum
innovat Constitutionem praedictam a fel.
record. Paulo V. emanatam, & quatenus
opus sit, eam declarans, hoc praesenti De-
creto districte praecipit, & mandat omni-
bus, & singulis Regularium Generalibus,
Provincialibus, Abbatibus, Prioribus, Guar-
dianis, Rectoribus, Praepositis, aliisque
ejusmodi quocumque nomine nuncupatis
Superioribus cujuscumque Ordinis, & In-
stituti, sive Mendicantium, sive non Men-
dicantium, necnon Congregationis, & So-
cietatis Clericorum Regularium quorum-
cumque, etiam Societatis Jesu, aliorum-
que quomodocumque exemptorum, vel
non exemptorum, etiam si essent speciali-
ter, & nominatim exprimendi, ut omni-
no dictae Constitutioni in omnibus pareant,
& omnes, & quoscumque Religiosos, tam
sibi ipsis subditos, quam non subditos, cu-
juscumque dignitatis, gradus, & conditio-
nis existant, haereticos, vel de haeresi quo-
modocumque etiam leviter suspectos, de-
ferant, & judicialiter denunciarent Inqui-
sitoribus, vel locorum Ordinariis, & nulla-
tenus in causis ad Sanctum Officium spe-
Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.

stantibus audeant se intromittere, neque
suos Subditos ad Sanctum Officium recur-
rentes, vel recurrere, aut accedere vo-
lentes, molestare, vexare, vel alio quo-
vis modo, sive directe, sive indirecte,
avertere, retrahere, dissuadere; imo praedi-
ctos suos subditos monere debeant, ut ip-
si quoque eidem decreto omnino pareant,
& alios Christianos etiam Confratres suos
ad parendum pariter hortentur, & sua-
deant, reiectis penitus hujusmodi opinio-
nibus, atque interpretationibus, quas San-
ctitas Sua cum voto doctor. Emorum DD.
Cardinalium, tamquam perniciosas, ten-
nerarias, & non consistentes, & a men-
te Sanctitatis Suae prorsus alienas reproba-
vit, & reprobavit.

§. 3. Et quia quandoque etiam eor-
um subditi deficiunt in eo, quod ipsis
implendum incumbit cum Religiosis ejus-
dem, alteriusve Ordinis, aliisque quibus-
cumque personis de fide suspectis, cate-
risque petentibus consilium in materiis ad
Sanctum Officium spectantibus, ita ut ne-
dum ipsimet denunciations differant, vel
ab illis prorsus abstineant; verum etiam
multoties ab eisdem alios a se consilium
petentes retrahant malis artibus, vel men-
dicatis Doctorum opinionibus, vel sub fra-
ternae correctionis facla, vel faciendae,
aliorumve praetextu.

Haereticos de-
nunciari man-
dat.

§. 4. Propterea idem Sanctissimus de-
claravit praefatos subditos absque ulla par-
ticipatione, etiam si nulla sit petita venia a
Superioribus, etiam si nulla fraterna cor-
rectio, vel alia monitio praemissa fuerit,
omnino teneri, & obligatos esse accedere
ad denunciandum Ordinariis, vel Inqui-
sitoribus locorum quoscumque etiam Con-
fratres, ac Superiores etiam primarios suos
ejusdem Ordinis, & Religionis, quos no-
verint esse de fide quomodolibet etiam le-
viter suspectos: Ac propterea eosdem de-
bere omnes, & quoscumque etiam alios a
se consilium, ut supra, petentes monere,
& obligare ad denunciandum, nec posse il-
los a denunciando sub dictae fraternae cor-
rectionis, vel alio quovis praetextu retrahe-
re, aut retardare, & praefatos omnes, tam
Superiores, quam subditos contrafacientes
Sanctitas Sua voluit, & declaravit subja-
cere omnibus censuris in dicta Constitutione
Pauli V. expressis necnon privationis qua-
rumcumque Dignitatum, seu Praelatura-
rum, seu officiorum suorum Ordinum,
ac vocis activa, & passiva, perpetuaeque
inhabilitatis ad eandem ipso facto, & absque
aliam declarationem incurrendis, aliisque San-
ctitatis Suae, ac Successorum arbitrio inflig-
endis poenis, quarum relaxationem, sus-
pensionem, absolutionem, vel dispensa-
tionem Sanctitas Sua sibi ipsi, & Successo-
ribus suis Romanis Pontificibus tantum
expresse reservavit.

Contrav-
nientia poena

§. 5. Et ne praemissorum praetendi possit
ignorantia, idem Sanctissimus mandavit
sub eisdem poenis, ipso pariter facto in-
currendis, ut supra reservatis, ut Superio-
res omnes praefati in quocumque loco, Con-
ven-

Decretis hoc in publica mensa legi vult.

Hujusmodi decretum publico in loco affigi præcipit

Ex Regest. in Secret. Breu.

Motiva.

ventu, vel Collegio sui Ordinis Decretum hoc semel saltem singulis annis Kalendis Martii in publica mensa, vel alias in Capitulo ad hoc specialiter convocato, legi curent una cum aliis Decretis, & Constitutionibus Apost. ad Sanctum Officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pertinentibus, quotannis legi solitis, juxta Decretum felic. record. Urbani VIII. Et insuper iidem Superiores teneantur curare, & efficere, ut hujus Decreti exemplum aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conserventur, itaut ab eisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commode queant. Deque hujusmodi lectione, & commotione publico documento ab iisdem superioribus Conventus, vel domus subscripto, unaque ab aliis duobus Religiosis ejusd. Domus, vel Conventus statim certiore facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis in Urbe, vel locorum Inquisitores ubi sunt. Statuitque præterea Decretum hoc, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixum, omnes ubique existentes arctare, & afficere, ac si unicuique personaliter fuisset intimatum.

CCCCIII.

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium, quod in posterum nullus, qui in Provincia Granaten. Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Minister Provincialis extiterit, & completo Officii triennio Pater modernior remanserit; posteaque Custos, seu Definitor Provincie fuerit electus possit denuo immediate in Ministerium Provinciale eligi, nisi prius saltem integrum triennium ab ingressu Definitorii vacaverit sub poena nullitatis aliter gerendorum.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

§.1. **A**liis pro parte dilectorum filiorum Fratrum Provincie Granaten. Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ expolito, quod statuta generalia dicti Ordinis præcipue anno 1651. edita, & per dictam Congregationem confirmata sub titulo de tempore, quo durare debent Officiorum vacantia, nec Fratres in Definitorii Provinciarum perpetuentur, dissonabant, Definitores non posse eligi in Custodes, nec Custodes in Definitores, nisi triennio vacaverint: Et nihilominus in præfata Provincia Granaten. invalescebat abusus se perpetuandi in Definitoriis; cum Provincialatus officio functi ingredierentur Definitorium uti Patres Provincie moderniores, alio autem triennio se in Custodes,

vel Definitores eligi curarent, deinde in subsequenti Capitulo, jam finito sexennio se in Ministros Provinciales reeligi facerent, atque ita perpetuantur in Definitoriis contra bonum regimen dictæ Provincie, & in fomentum ambitionis, ac in detrimentum Religiosorum benemeritorum, qui licet benemeriti, si Minister Provinciale semel infensum habeant, nihil unquam consequi possint a Definitorio, quod Minister Provincialis semper ingreditur, sed ab illo continuo vexantur: Et propterea eidem Congregationi supplicato, ut ordinaret nullum, qui finito triennio Paris modernior sit electus in Custodem, vel Definitorem, reeligi posse in Ministerium Provinciale, nisi ad minus per triennium vacaverit ab ingressu Definitorii, emanavit a præfata Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, ac audita relatione Commissarii Generalis Curie Ordinis hujusmodi, Eminentissimo Astallio referente, ad tollenda absurda, que in memorata Provincia, que causa præmissorum, & contra mentem Statutorum generalium dicti Ordinis, in ambitionis fomentum, & dominandi libidinem evenire dicuntur, ut pauci solum modo Patres in Guberniis, & Officiis perpetuari conentur, censuit, & decrevit, prout præsentium tenore decernit, ut imposterum nullus, qui in prædicta Provincia Minister Provincialis extiterit, & completo ejus Officii triennio Pater modernior remanserit, posteaque Custos, seu Definitor Provincie fuerit electus, possit de novo immediate in Ministerium Provinciale eligi, nisi prius saltem per integrum triennium ab ingressu Definitorii vacaverit; ac ita in præmissis de cætero fieri, exequi, & observari sub poena nullitatis aliter geren. mandat, & præcipit contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ die 25. Junii 1660.

Marcus Cardinalis Ginettus.

§.2. Cum autem, sicut prædicti Fratres Provincie Granaten. Nobis nuper exponi fecerunt ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia, & observatione, apostolica confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent: Nos specialem eisdem Fratribus gratiam, facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præsentium auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur

Sacra Congr. Decretum.

Decretum præsentium confirmatur.

Decretum irritant.

Derogatio contrariorum

Dat. die 13. Julii 1660. An.VI.

Ex Regest. in Secret. Breu.

Motiva.

bur adiicimus: salva semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

§.3. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore ac ab illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, supra dictæ Provincie etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegii quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum, tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque; Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Julii 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCCIV.

Commissio Nuncio Sabaudie, ut audiat Recursus Subditorum Principatus Masserani, & Marchionatus Crevacorii.

Ven. Fratri Carolo Archiepiscopo Tarven. nostro, & Apostolica Sedis apud dilectum filium Nobilem Virum Carolum Emmanuelem Sabaudia Ducem Nuncio.

ALEXANDER PAPA VII.
Ven. Frater salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. **C**UM dilecti filii Consules, Consiliarii, & Homines Principatus Messerani, & Marchionatus Crevacorii, aliorumque locorum annexorum ob magnam eorum ab Urbe distantiam, non facile, nec sine notabili incommodo, & impensa valeant accedere ad Apostol. Sedem, eidemque suos recursus, & querelarum causas proponere, si quando a Dominis, quibus ab eadem Sede commissi sunt, vel eorum iudicibus sentiant, se in aliquo prægravari, indeque sæpius contigerit illos prælo neminem habentes, qui eos audiat, & præsidio sit, animis concitatis prosiluisse in varios excessus maximo etiam cum detrimento prædictorum Dominorum loca ipsa obtinentium in feudum: Nos ex munere Nobis injuncto volentes omnium tranquillitati, ac etiam commoditati, & indemnitati prospicere, motu proprio, &

Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.

ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine te (de cujus probitate, prudentia, & in rebus agendis dextertate, & experientia, plurimum in Domino confidimus) constituimus, & deputamus, ut recursus, si quos a quibusvis gravaminibus per dilectum filium Nobilem Virum Principem Masserani, & Marchionem Crevacorii, sive ejus Judices præfatis Consulibus, Consiliariis, & hominibus tam uti universis, quam uti singulis, illatis, seu inferendis per eosdem Consules, Consiliarios, & Homines ad Nos, & Sedem prædictam haberi contigerit, auctoritate nostra, ac uti a Nobis delegatus audias, & quid circa illos, & illa sit agendum eidem Principi, ejusque iudicibus rescribendo præscribas, & quomodo ab illis procedendum sit, dirigas. In arduis vero, & iis, que bonum regimen, ac statum dictorum locorum concernunt, Informationes suscipias, & ad Nos transmittas, ut quid magis expedire censerimus, decernere, & mandare valeamus, plenamque Tibi in præmissis, & cæteris, que circa illa, & eorum occasione duxeris necessaria, & opportuna providendi, atque statueris, & ordinandi auctoritatem concedimus, & delegamus.

Mandantes propterea moderno, & pro tempore existenti Principi Masserani, & Marchioni Crevacorii, necnon universis, & singulis aliis sub nostre indignationis, aliique nostro arbitrio poenis, ut tibi in præmissis pareant, & quidquid mandaveris exequantur; nec sub quovis pretextu, aut quæsito colore, vel causa te in prædictis audeant, vel presumant directe, vel indirecte impedire, seu molestare; sed imo tibi in omnibus assistant, suoque adjuvent auxilio.

§.3. Decernentes irritum, & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac fecerit. Bonifacii VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Principatus Marchionatus, & locorum prædict. & aliis quibuslibet &c. sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis &c. in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, &c. alia ex quibuslibet forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum &c. hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Julii 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

Nuncio Sabaudie committit, quod continetur in Ruot.

Clausulas apponit.

Contrariis derogat.

Dat. die 15. Julii 1660. An.VI.

Ex Regest. in
Secret. Brevis

Diversae declarationes, & ordinationes circa Juramentum per Alumnos Collegiorum Pontificiorum praestari solitum, quo Sedis Apostolicae servitio reperiuntur adstricti juxta Decretum particularis Congregationis Cardinalium de Propaganda Fide.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§. I. CUM circa juramenti vinculum, quo Pontificiorum Collegiorum Alumno Sedis Apostolicae (a qua maximis sumptibus educantur) servitio reperiuntur adstricti, variae fuerint hucusque a nonnullis excogitatae interpretationes, quibus ejusdem Sedis in hoc eludatur intentio, & Dei gloria, & servitio, cui hujusmodi institutum dirigitur, non minimum detrahatur: Nos opportune, hac in re providere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum super hoc a Nobis specialiter deputatorum, qui rem diligenter, ac mature discussissent, consilio, ac inhaerendo decretis alias circa praefati juramenti formulam emanatis, eaque quatenus opus innovando, auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus, praedictos Alumnos non ad triennium tantum, ut gratis aliqui interpretantur, sed perpetuo quoad vixerint, in quocumque statu permanerint, Sedis praefatae servitio fuisse hactenus, & futuros in posterum strictos, ut alias, & signanter, die 7. Augusti 1645. a felicis recordationis Innocentio Papa X. Praedecessore nostro fuit declaratum; hujusmodi autem servitio minime satisfacturos, etiam si in salutem animarum operam suam quoquo modo impendant, nisi illud ad praescriptum Sedis Apostolicae expleverint. Praeterea si contingat aliquem ipsorum incorrigibilitatis, vel male valetudinis, aut alia qualibet ex causa a Collegiis elici, aut sponte sua quacumque discedere, etiam si non dum completis studiis, aut Sacris Ordinibus fuerit initiatus, non idcirco censendum a juramento ulla ex parte solum tam circa servitium praestandum in Missionibus, quam circa prohibitionem ingrediendi Religionem, immo ne hoc, vel alio quovis praetextu d. Sedis mens forsan eludatur; prohibemus, ne etiam elapsis triennio quovis tempore possit quilibet Alumnus ad Religionem admitti, nisi de expressa nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis, vel Congregationis Ven. Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum in scriptis habenda licentia, sub poena nullitatis professionis ipso jure, si aliter fuerint ingressi, & quod ab eadem Cardinalium Congregatione, non obstante professione, ad primum statum revocari possint. Insuper declaramus, quod concessa Alumnis, ut supra, licentia ingrediendi Religionem, non

Innoc. X. Decretum confirmatur.

Nulla causa a juramento praefato immunet sunt.

idcirco censendi sunt a juramento absoluti ex praesumpto tacito consensu, eo quod praefata Congregatio illorum opera forsan non uteretur: Ad haec nullo pacto licere, Alumnis contra formam juramenti, vel alteri statui ex perpetuo se addicere, eo sub praetextu, quod quilibet teneatur sibi ipsi ratione aliqua fabuli consulere, & quod hac S. Sedes Alumnis, postquam fuerint admissi non provideat. Cum memorata Congregatio neminem ex iis, qui ad Missionis titulum ordinati sunt, quive suo instituto pro viribus incumbunt, consueverit unquam desituere: quod secus aliquando forsan contingat, hoc eorum culpae adscribendum est, qui postquam fuerint dimissi ejusdem Sanctae Sedis, a qua enutriti fuerunt, ac ejus, quod professi sunt, Instituti prorsus oblit, de se, suoque statu eandem monere negligunt omnino. Quia vero, ut praefertur, non desunt aliqui, qui non intelligentes gravitatem muneris Sacerdotum Secularium, ad Missiones Apostolicas admissorum, quidve Sanctae Fidei propagationi, & Universalis Ecclesiae bono, attempta praesertim temporum, ac rerum circumstantia, magis conducant, audeant adhuc asserere hujusmodi juramentum in ea parte, qua cujuslibet Religionis ingressum prohibet, invalidum omnino esse, tanquam impeditivum majoris boni, eoque praetextu excusationem suae contumaciae obtinentes, juramentum, quoad hanc partem negligere praesumant: Nos volentes deinceps hujusmodi abusus opportune occurrere, eosque, qui contra praesumpserint, ad statum, cui ex praefato juramento reperiuntur obstricti revocare; praecipimus omnibus Alumnis, ut postquam a suis Collegiis, vel sponte egressi, vel dimissi fuerint, sive in statu, & habitu seculari permanerint, etiam si in Sacris non fuerint, sive etiam postquam alicui Religionis fuerint adscripti, donec vixerint quolibet anno, si intra fines Europae fuerint, vel si extra quolibet biennio, de se suoque statu, & loco, ubi maneat, & quibus studiis, & exercitiis operam navent, per literas praefatae Congregationem certiorare; literas autem hujusmodi viciniori Sedis Apostolicae Nuncio transmittere, atque etiam eoque iterare teneantur, donec per ejusdem Epistolam certi fiant, quod ad ipsum pervenerint. Utque id omnino observetur, praecipimus, ut in juramento ab eisdem Alumnis praestando addatur infra scripta clausula: Item voveo, & juro, quod sive Religionem ingressum fuero, sive in statu seculari mansero, si intra fines Europae fuero quolibet anno; si vero extra, quolibet biennio, mei ipsius, meique status, & exercitiis, & loci, ubi moram traxero, Sacram Congregationem de Propaganda fide certiorabo. Praecipimus item quod id ipsum praestent eorum Superiores Regulares quoad eos, qui Religionem fuerint ingressi. Praefectis vero Missionum Sacerdotum Secularium injungimus sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae, ut quolibet anno diligenter perquirant

Formula juramenti.

Hujusmodi decretum servati vult.

rant de statu singulorum, qui fuerunt Alumnis, & ad eam Missionem vel ratione originis, vel nationis, aut alio quovis modo pertinent, sive Religionem fuerint ingressi, sive non, deque ipsis, eorumque statu, exercitiis, ac locis eandem Congregationem omnino moneant. Praeterea praecipimus praesentes literas ad singula Collegia transmitti, eorum Superioribus injungentes, ut adamussim illas observari curent, expositaque habeant in loco patenti, singulisque obviam, ne ullo tempore illarum ignorantia a quopiam praetendi possit, & ut quovis anno in publico Refectorio bis legantur, nimirum prima Dominica Januarii, & prima Junii, necnon etiam immediate ante praestationem juramenti clara voce Alumnis mox juraturis legantur, ac ne quis ab earum executione excusari valeat, ipsius juramenti formulam tam, quae sequitur, clausulam superaddi mandamus: Denique voveo, & juro, me praefatum juramentum, ejusque obligationem intelligere, & observaturum juxta declarationes factas a Sacra Congreg. de Propaganda Fide, & Brevis Apostolice roboratas sub die 20. Julii 1640. Quia vero in tanto Alumnorum numero, quos haec S. Sedes ad Fidei Ministerium maximis sumptibus enutrit, ac instruit, ac quotidiana experientia comperitur ex defectu hujusmodi Ministrorum opus Dei multoties peremptum, & quod maxime dolendum est, plurimas Regiones, quae abae sunt ad messum, ea de causa misere deperire; districte praecipimus Superioribus Collegiorum sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, ut qualibet vice nomina singulorum, qui ad Collegium admittuntur, necnon eorum, qui dimittuntur, vel sua sponte recedunt, statim ipsimet Congregationi praefatae, vel ipsius Secretario transmittant, expressis singulorum aetate, patria, studiis, ordinibus, habilitate, ac locis, ad quae diriguntur, quoque die juramentum praestiterint, ut in actis ejusdem Congregationis redigi possit. Injungentes Alumnis sub poena ejectionis a Collegio, ne juramenti praestationem ultra statum in Decreto rec. mem. Urbani Papae VIII. Praedecessoris nostri die 24. Novembris 1625, praescriptam differant; Superioribus vero sub eadem poena suspensionis, ne ullam hac in re dilationem permittant, nisi ex gravi causa per ipsammet Congregationem super praedictam Romae; extra vero per Nuncios Apostolicos in scriptis approbanda, demum districte prohibemus, ut nullus omnino cujusvis dignitatis, & conditionis extiterit, audeat praedictum juramentum, ac praesentes literas, seu declarationes tam in totum, quam secundum singulas sui partes declarare, aut interpretari, sed si quid forsan dubitari contigerit, teneatur eandem Sanctam Sedem consulere, ab eaque responsum in scriptis expectare sub poena violationis juramenti, si secus facere praesumpserit.

Urbani VIII. Decretum confirmatur.

Clausula;

tione digni, in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet pretendentes, ad ea vocati, & auditi non fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, aut in contrarium revocari, seu ad terminos juris reduci posse, sed ipsas praesentes firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Carinales etiam de latere Legatos, & Sedis praefatae Nuncios, aliove quolibet quavis auctoritate & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iurandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria derogat.

§. 3. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon memoratorum Collegiorum, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, ac alias in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, ac pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua, ac expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omissis, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & infererentur, iisdem praesentibus, pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentis, ad praemissorum effectum harum serie specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptum fides.

§. 4. Volumus autem, ut eandem praesentium transumptis etiam impressis, manu Secretarii praefatae Congregationis, vel Notarii publici subscriptis, & sigillo ejusdem Congregationis, vel alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium in iudicio, & extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhibetur, si forent exhibitae, vel ostense.

Dat. die 20. Julii 1660. An. VI.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub

sub Annulo Piscatoris, die 20. Julii 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCVI.

Secret. Theo. Ex Regest. in

Confirmatio quorundam Privilegiorum a diversis Romanis Pontificibus Consulibus, & Communitati Civitatis Carpentoraten. super Nundinis, mercatibus, cognitione quarundam Casuarum, faciendisque Proclamatibus, seu Bannimentis pœnalibus, necnon infeudatione cujusdam Castri, respective concessorum.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva:

Constantis fidei, & sinceræ devotionis affectus, quem dilecti filii Consules, & Communitas Civitatis nostræ Carpentoraten. erga Nos, & Sedem Apostolicam gerere comprobantur Nos inducit, ut illa, quæ ipsi a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostri pro eorum commodo, dictæque Communitatis ornamento, & decore concessa fuerunt, apostolicæ confirmationis nostræ præsidio roboremus.

Supplicatio.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt iidem Consules, & Communitas, quod dudum fel. rec. Clemens Papa VII. ipsis Consulibus, & Communitati, ut Nundinas ab omni gabella, datio, exactio, pedagio, & onere liberat, & exemptas, prout in aliis Civitatibus, & Locis illarum partium celebrabantur, celebrari facere, ac duos Mercatores probos, ac in arte peritos, qui in Domo publica dictæ Civitatis, aut alio loco deputando de differentiis, & discordiis, quæ inter Mercatores occasiore Mercantiarum orirentur cognoscere, & eos componere valerent, & a quorum ordinatione appellari non possent; Et deinde præ mem. Paulus PP. III., quod ultra Mercatum, quod ab immemorabili tempore, citra in eadem Civitate qualibet die Veneris ex concessione dictæ Sedis fieri consueverit in qualibet die Martis in eadem Civitate aliud forum, seu Mercatum cum eisdem exemptionibus, cum quibus aliud die Veneris hujusmodi celebrabatur celebrare libere, & licite valerent indulerunt; Ipseque Paulus III. statuit, & ordinavit, quod de cætero perpetuis futuris temporibus omnes, & singuli are alieno gravati, seu alias submissi, vel obligati ad Mercatum dictis diebus venientes tam eundo, quam redeundo pro debito civili ad alicujus instantiam capi, aut alias quomodolibet vexari non possent. Postremo re. mem. Pius Papa IV. Prædecessor noster per eum accepto, quod Alexander Episcopus Ostien. Cardinalis Farnesius nuncupatus S. R. E. Vicecancellarius tunc in illis partibus de latere Legatus prædictis Consulibus causas minimas quatuor ducatorum auri de Camera non excedentes cognoscendi, & omni appellatione remota decidendi facultatem concesserat, quodque ab eisdem Consulibus, vel certis aliis Magistris nuncupa-

tis ad id ab ipsis Communitate deputatis pretia Annonæ constituendi, & taxandi consueverant, ipse Pius Prædecessor Consulibus prædictis non solum causas quatuor ducatos non exceden. cognoscendi, & decidendi, ac pretia Annonæ constituendi, & taxandi, verum etiam quascumque alias Ordinationes, & decreta ad id necessaria, faciendi, & promulgandi, & ea quoties expedire videretur mitigandi, corrigendi, & alterandi, taxas, & ordinationes, ac quicquid in præmissis pro bono publico pro tempore facerent, & decernerent per mercatores, artifices, laniones, pistores, falsamentarios, caupones, cetarios, piscium venditores, & alios quoscumque cujusvis status, gradus, ordinis, & conditionis existentes sub multis pecuniariis usque ad summam quatuor ducatorum similibus per quemlibet transgressoré qualibet vice persolvendi, inviolabiliter observari mandandi, inobedientes, & transgressores quoscumque illas incurrisse declarandi, & illas ab eisdem transgressoribus quibuscumque appellationibus, & diffugiis rejectis irremissibiliter exigendi, Fiscoque, ac pauperibus, & arario ejusdem Civitatis æquis portionibus applicandi facultatem in perpetuum etiam privative, quoad omnes alios Magistratus; ita quod ea insoludum, & solis ipsis Consulibus, vel ut præfertur, pro tempore deputatis concessa, & demandata esse censerentur. Præterea cum de usu laudabili illarum partium singulis annis bandimenta, & proclamata sub pecuniariis, & aliis pœnis adversus inferentes damna, & injurias culpa, vel negligentia cum animalibus, vel alias in prædiis territorii, & districtus dictæ Civitatis consistentibus fieri consueverant, emolumenta que ex pœnis a contrafaciendis pro tempore exactis provenientia ad Camera Apostolicam illarum partium spectarent, & quorum locatione dicta Camera annis singulis summam duodecim ducatorum similibus, vel circa percipere consueverat, eisdem Consulibus us, & facultatem proclamata, & bandimenta hujusmodi suis loco, & tempore quoties opus fuerit in eadem Civitate, ac illius territorio, & districtu universo emittendi, & fieri mandandi bandimentis contravenientes ad solutionem multarum, & pœnarum propterea incurfarum omnibus juris, & facti remediis cogendi, & compellendi concessit, & emolumenta quæcumque pœnarum hujusmodi arario dictæ Civitatis in perpetuum, ita quod nullo unquam tempore de bandimentis, & pœnis præfatis earumque exactio, perceptione, & aliis inde emergentibus Legatus ipse, aut Vicelegatus, seu dicti Comitatus Rector, vel Camera agentes pro tempore existentes, aut quivis alii quovis prætextu se intromittere possent donavit, & in perpetuum applicavit; & insuper locum, seu castrum dirutum de Terris Carpentoraten. Diocesis ad dictam Sedem pleno jure spectan., & contiguum territorio dictæ Civitatis tunc omni habitatore fere destitutum, in quo Commu-

Communitas, & habitatores dictæ Civitatis jus pascendi cum eorum animalibus ex quibusdam conventionibus, seu ordinatione, necnon consuetudine antiquis habebant omnia fere illius prædia, & habitationes præfatas pertinebant, ipsiusque Civitatis statuta, & consuetudines in dicto loco vetuti unico incorporato territorio d. Civitatis servabantur, ipseque locus tunc eidem. Legato suberat, & ex illo idem Legatus, seu Agentes pro dicta Camera annuatim non ultra duodecim ducatos similes, vel circa cum certis aliis emolumentis, laudemis nuncupatis percipere, consueverant cum universis ejusdem loci territorio, & districtu, eorumque hominibus, vasallis, habitatoribus, incolis, domibus, edificiis, prædiis, aliisque juribus, & pertinentiis suis quibuscumque eisdem. Consulibus, & Communitati in feudum nobile, perpetuumque sub annuo canone, seu censu sex ducatorum auri similibus. Camera Apostolicæ illarum partium persolvendi assignavit, ipsosque Consules, & Communitate Feudatarios, & Dominos in temporalibus perpetuos dicti loci, seu castri fecit, constituit, & deputavit; Et postremo idem Pius IV. Prædecessor noster motu proprio infeudationem, & concessionem dicti loci, seu castri de terris, & alia præmissa sub lit. rescissionis alienationum rerum Ecclesiæ Romanæ per eundem Pium Prædecessorem sub datum quinto decimo Kalendas Junii Pontificatus sui anno sexto editis, & quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus revocationibus, cassationibus, & aliis contrariis dispensationibus similibus gratiarum, etiam ab ipso Pio Prædecessore, & Sede præfata editis nullatenus comprehensa fuisse, esse, vel fore, sed illa valida, & efficacia perpetuo permanere declaravit, & si opus esset illa adversus easdem rescissiones, & literas revalidavit, ac in pristinum statum restituit, Consulibus, & Communitati præfatis quod in dictis pœnis incorporandis, vel exigendis Procuratorem fiscalem, seu quemvis alium minime vocare tenerentur, & dictas pœnas a quibusvis omni, & quacumque appellatione remota exigere, & opportuna mandata exequi facere possent, concessit, prout in Literis Apostolicis desuper confectis, plenius continetur.

Privilegia nonnulla conceduntur.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes præmissa omnia pro eorum firmiori subsistentia a Nobis approbari plurimum desiderent; Nos speciale ipsi Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, necnon dictarum literarum tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur præsentibus, pro

expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati concessionibus, indulta, statuta, ordinationes, donationes, infeudationes, applicationes, deputationes, declarationes, revalidationes, restitutiones aliaque omnia, & singula præmissa, ac in dictis literis contenta, & inde secuta quæcumque, dummodo tamen sint in observantia, nec revocata existant, & sine præjudicio jurium Camera Apostolicæ applican. auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus.

§.3. Decernentes omnes, & singulas personas ad dictum Mercatum, ut præfertur, venientes, seu ab illo recedentes occasione, seu prætextu quarumcumque declarationum pœnarum incurfarum etiam dicto Fisco ob non partitionem mandatorum pro debitis civilibus tam publicis, quam privatis factorum applican. molestari, carcerali, vexari, seu perturbari nullo unquam tempore posse, aut debere; Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes etiam Casuarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretaadi facultate, & auctoritate ubique judicari, & definiri debere, necnon irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scien., vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Quocirca Venerabilibus Fratribus Carpentoraten., & Cavallicen. Episcopis, seu dilectis filiis eorum Vicariis in Spiritualibus Generalibus per præfentes committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præfatas, & præfentes literas, ac in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Consulium, & Communitatis prædictorum fuerint requisiti solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciât auctor. nostra præmissa omnia observari; Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§.5. Non obstantibus rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo quis vigore præsentium ad iudicium ultra tres dietas non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis expressa sunt non obtare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 28. Julii 1660. Pontificatus nostri Anno VI.

CCCVII.

Confirmatio Decr. Congregationis de Propaganda Fide circa Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini Excalceatorum, nuncupat. qui ex Europa ad Insulas Philippin.

Unquisque ad Mercatum absq. ulla molestia pervenire possit.

Contravenientium pœnæ.

Contraria tollit.

Die die 28. Julii 1660. An. VI.

Ex Regest. in Secret. Brov.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Sacra Congreg. Decretum.

§.1. **N**uper emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Propagandæ Fidei negotiis præposita Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Decretum Sacræ Congregationis generalis de Propaganda Fide habitæ die 28. Junii 1660.: Ne Fratres Ordinis Eremitarum Excalceatorum Sancti Augustini, qui ex Europa ad Insulas Philippinas ad Christianam Fidem inibi juvandum, aut promovendam transmittuntur a tam sancto opere distraherentur, subsidiaque spiritualia iis Populis retardentur; Sacra Congregatio de Propaganda Fide, facto verbo cum Sanctissimo, ac Eminentissimo Duratio referente, prohibuit, & prohibet singulis eorum, ne quovis prætextu in Civitate Mexici, aliisque in locis, per quæ eos transigere contigerit, moram, ultraquam necessitas itineris, aut commeatus tulerit, ullo pacto trahere audeant, sed recto tramite ad obedientiam sui Commissarii in præfatis Insulis residentis, se conferant, sub pœna privationis utriusque vocis, perpetuæque inhabilitatis ad quaslibet Dignitates, seu munera suæ Religionis. Datum Aëdibus ejusdem S. Congregat. hac die 28. Junii 1660.

Cardinalis Antonius Præfectus.
M. Albercius Secretarius.

Oratorem a censuris absolvit, & decretum præsertum confirmat.

§.2. Cum autem, sicut dilectus filius Procurator Generalis dicti Ordinis, seu Congregationis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiri summo perere desideret: Nos ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiciimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfate Cong. Cardinalium.

Clausula.

§.3. Decernentes easdem præsentibus Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviola-

biliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. *Contraria tollit.*

§.5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo persone in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostense. *Transumptorum fides.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quinta Augusti 1660. Pontificatus nostri Anno VI. *Dat. die 5. Aug. 1660. Supplicatio.*

CCCVIII.

Confirmatio primi Brevis Provinciae B. Petri de Alcantara Ordinis S. Francisci Patrum Discalceatorum in Hispania, cum electione Ministrum Provincialis, & Definitorum ipsius Provinciae a SSmo facta. *Ex Regest. in Secret. Breo.*

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Alias Nos charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici supplicationibus Nobis humiliter porrectis inclinati, Provinciam Sancti Joannis Baptistæ Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ord. Minorum Sancti Francisci de Observantia in Regnis Valentia, Murcia, & Granatæ consistentem in duas, unam scilicet, quæ nomen Provinciae S. Joannis Baptistæ retinere deberet, & alteram de novo erectam, & Beati Petri de Alcantara nuncupandam Provincias, sub certis modo, & forma tunc expressis auctoritate Apost. divisimus, ac inter alia volumus, ut in Capitulo Provinciali, in quo Præsæs ipsiusmet Capituli ad novam electionem præsideret, vel etiam in Congregatione more Capituli Provincialis ad hunc effectum habenda, & celebranda tempore, & loco ab ipso Ministro Provinciali Provinciae S. Joannis Baptistæ præscriptis, convocatisque per ipsum Definitoribus, & Fratribus, cunctisque omnium locorum, seu Conventuum ipsius Provinciae Guardianis, ex omnibus ejus Fratribus, hoc est de toto corpore Provinciae unus illorum in Ministrum Provinciale, Definitoribus, & Guardianos per vota secreta ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini, & deinde ex corpore Congregationis solummodo quatuor Definitoribus, & Custos servatis servandis, & prout in hujusmodi Capitulis Provincialibus moris est, eligerentur, quos omnes, scilicet Ministrum Provinciale, Definitoribus, & Custodem, postquam electi fuissent, idem Minister Provincialis Sancti

Sti Joannis Baptistæ, seu Præsæs Capituli Apostolica auctoritate confirmaret, & alias prout in nostris in simili forma Brevis literis die 4. Augusti 1659. desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expressio, & verbatim inserto haberi volumus, uberius continetur.

Supplicatio.

§.1. Cum autem, sicut Nobis nuper relatum fuit, prædicti Minister Provincialis, & Vocales voluntatem nostram hujusmodi executioni demandare non curaverint, nec curent. Hinc est, quod Nos prospero, felicitate regimini, & gubernio prædictæ noviter erectæ Provinciae B. Petri de Alcantara, ex commissi Nobis cœlitus pastoralis officii debito providere volentes, ac de infra nominatorum dicti Ordinis Fratrum expresse professorum charitate, prudentia, industria, idoneitate, Religionis zelo, aliisque meritis plurimum in Domino confisi, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes.

§.2. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine dilectos filios Franciscum Morales in Ministrum Provinciale, ac Christopharum Laurentium in Custodem, necnon Didacum Fernandes in primum, Bernardum Morales in secundum, Franciscum de Estevan in tertium, & Alphonsum de Segura Fratres Ordinis prædicti in quatuor Definitoribus dictæ novæ Provinciae B. Petri de Alcantara respective ad tempus, quo aliarum Provinciarum dicti Ordinis Ministri Provinciales, Custodes, & Definitoribus juxta regularia ejusdem Ordinis instituta Apostolica auctoritate confirmata, in suis officiis durare consueverunt, tenore præsentium constituimus, & deputamus.

§.3. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrii nostri pœnis, omnibus, & singulis memoratæ Provinciae Beati Petri de Alcantara Superioribus, Fratribus, & personis, cæterisque ad quos quomodolibet spectat, & spectabit in futurum, ut supra nominatos Fratres ad officia eis respective per præsentibus demandata recipiant, & admittant, illosque recognoscant, ac eis in omnibus officiis hujusmodi concernentibus pareant, & obediant, ac favent, & assistant respective.

§.4. Ac decernentes easdem præsentibus literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suorumque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac supranominatis Fratribus plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & spectabit, in futurum inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam *Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.*

causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, prædicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum quorumcumque, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 9. Aug. 1660. Pontificatus nostri Anno VI. *Dat. die 9. Aug. 1660. An. VI.*

CCCIX.

Subsidium contra Turcas 100. mil. scutorum auri super fructibus Ecclesiasticis Reipublicæ Venetorum. *Ex Regest. in Secret. Ven.*

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

§.1. **E**t si Nobis pro cura pastoralis Officii divina disponente providentia, Nobis licet meritis imparibus, commissi, nihil magis cordis sit, quam personas Ecclesiasticas ab extraordinariis oneribus immunes semper conservare, idque nisi summa necessitas cogat, re ipsa animo statuerimus: nihilominus, sicut jam omnibus notum esse debet, cum Turcarum Tyrannus nefarium bellum, quod a quindecim vel circiter annis dilectis filiis nobilibus viris Duci, & Dominio Venetorum intulit, etiam num ingenti apparatu maximisque viribus prosequatur, & propterea ipsi Dux, & Dominium majores, quam nunquam antea tam maritimas, quam terrestres copias, ut se, suaque tueantur, parare; & instruere, ac proinde ingentes impensas facere modo compellantur: Nos considerantes non minus Clericorum, quam Laicorum interesse, ut ea, quæ ad defensionem hujusmodi necessaria sunt, studiose comparentur, quo Christiani nominis hostes infensissimi a Christianidelium, cervicibus, adjuvante Domino repellantur, cogimur de universi Cleri Domini Veneti facultatibus in hoc gravissimo, periculosissimoque casu fiduciam sumere, sperantes, quod ipsi hoc onus urgentissima necessitate, & justissima de causa a Nobis sibi impositum æquo animo ferre non recusabunt. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine *M unum*